

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Philologica Qua Al Tehî Tsadik Harbeh Ve-'al Tirsha' Harbeh Sive Nimium Iustitiae Et Improbitalis Salomonis, Coheleth. VII. 16. 17. ...

**Clauswitz, Benedikt Gottlieb
Keyselitz, Gottlieb**

Lipsiae, 1721

VD18 11528834

§. XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130295](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130295)

se judicat, ita, ut bona apparentia pro veris habeat, & ex perversa voluntate malum pro bono seligat.

§. XIV.

למה תמור, verbum מות *mori* notat, num vero proprie mortem aeternam, i. e. statum infelicissimum hominis anima & corpore constantis post hanc vitam, synecdochice solutionem animæ a corpore qua motus vitales corporis desinunt, ut Guffetio quidem visum fuit, notet, & num hæc posterior notio propria sit, incertum est. Frequentissima absque dubio est, quæ mortem corporalem significat, seu illa ex causis naturalibus, seu magistratus supplicio contingat.

עַר Tempus notat, idque ex Guffetii mente ita differt a זמן ut זמן tempus ex præelectione definitum notet, עַר vero generalissimum sit, ita tamen ut etiam id, quod speciatim est זמן notet, tempusque significet una cum circumstantiis. Imprimis vero in Salomone עַר tempus opportunum notat, in quo aliquid fieri decet, sive cum suffixo quod ad rem cuius tempus esse dicitur refertur. Coh. III, 11. Proverb. XV, 23. Pf. CXLV, 16. sive absolute positum sit, ut Cohel. VIII, 5. 6. X, 17. Dum ergo dicit Ecclesiastes *mori aliquem עַר בְּלֵא* dicit *mori illum tum*, cum non convenit *mori*, Ast vero quando non convenit *mori*? Si quis moriatur ante terminum vitæ naturalis, si ille ira Dei imminuatur. Est alias ea notio vocis מַיִן ut dies alicuius venire dicatur, quando tempus mortis a Deo statutum appropinquat. Ast cum extra illud absolute spectatum nemo diem obire possit, *mori עַר בְּלֵא* nihil aliud erit, quam *mori tempore alio*, quam quod termino naturali vitæ statutum est.

§. XV.

Dum vero ita notiones vocum evolvimus, regulas quasdam supponimus, quæ ad sensum hujus loci eruendum

(g) In Comment. Ebr. Leg. in voce מַיִן.

dum nobis sufficere visæ sunt, Hæ vero regulæ partim in generalibus exegeteos principiis, partim in specialibus textus circumstantiis fundantur. Sunt vero sequentes.

Reg. I. Sensus eligendus est, qui notiones vocibus tribuit in scripturis usitatas, & qui ceteris paribus eas imprimis, quas Salomo ipsis tribuit, illis vindicat.

Reg. II. Sensus eligendus est, quo posito nexus aliquis datur versuum nostrorum cum præcedente versu. Et qui sensus maxime dilucide versum 15. tanquam fundamentum vel argumentum adhortationis monitis versibus 16. & 17. exhibitis substernit, is ceteris paribus præferendus est. Substernit vero is, qui vel statum talem justi, ideo, quod secundum præcedentia causæ exitii sæpe existat, vitandum suadet, vel fiduciam in justitia collocari non vult, ideo, quoniam etiam justi perire possint in justitia.

Reg. III. Sensus is eligendus est, quo adoptato ad propositiones oppositas versus prioris distinctæ etiam paræneses v. 16 & 17. referuntur, non tantum quoad subiectum, sed etiam prædicatum: item, ubi subiecta & prædicata parænesium oppositarum sibi accurate respondent.

Reg. IV. Sensus admittendus non est, qui dogma vel analogiæ doctrinæ revelatæ vel sanæ rationi adversum stabiliat. Ex quo consequitur, quod ergo sensus admittendus non sit, qui in virrute & convenientia actionum cum lege mediocritatem pro perfectione virtutis venditat.

Reg. V. Sensus tamen eligendus videtur, qui vocibus צוּיִק & הִרְבֵּרָה tales notiones tribuit, quæ sine addito הִרְבֵּרָה vel præceptum, vel licitum, vel tale quid, quod in relatione ad successum inde expectandum permitti potest, insinuat.

Reg. VI. Sensus genuinus vocibus צוּיִק הִרְבֵּרָה & הִרְבֵּרָה רָשָׁע rem significet oportet, quæ utraque cavenda

da

da sit, quæque homini facile malum, mortem præmatu-
ram, interitum vel stuporem acceleret, quæ Deus a piis
observatis his monitis averuncet.

Reg. VII. Sensus genuinus is non est qui Salomonem
profanæ mentis arguit, ipse enim dum hæc docet, timo-
rem Dei tanquam medium hæc mala evitandi supponit.

Reg. VIII. Sensus genuinus verbis אל תהי צריק אל
תרשע הרבה & הרבה tributus ex duobus res distin-
ctas facit quæ sibi v. 18. opponantur, ut זה & זה.

§. XVI.

Insuper vero observandum est de his regulis, omnes
eas ad genuinum sensum eruendum esse conjungendas.
Non ergo statim pro sensu genuino loci is habendus erit,
qui uni vel alteri regulæ, vel magis etiam quam alius fa-
tisfacit, si deinde in reliquas peccet. Inter ipsas vero
sententias in medium nunc proferendas quædam reperi-
entur, quæ uni atque alteri regulæ ita contradicunt, ut
plane cum illis conciliari nequeant. Quædam vero sen-
tentia tantum in circumstantiis quibusdam difficultatibus
premuntur. In his ea merito præferenda erit sententia,
quæ pauciores & minores difficultates habet, cuique adeo
plurimæ regulæ commodissime applicari possint.

§. XVII.

Antequam vero ad applicationem Regularum ista-
rum ad diversas Commentatorum, aliorumque autorum
sententias progrediamur, de sensu v. 15. nobis ante omnia
constare debet, utpote cum quo paræneses versu nostro
16. & 17. connectuntur. Meminit in illo Ecclesiastes even-
tus alicujus a semet ipso in vita sua observati, miseri qui-
dem quoad speciem externam respectu צריק זה, læti vero
respectu רשע זה. Quod si nunc ad notiones צריק זה at-
tendimus, observatum est §. VII. vel justum in genere, h. e.
vitam ad legem Dei componentem, vel inspecie eum qui
in causa sua justus & criminis expertus est, hac voce deno-
tari.